



Clemens in Saxonia illustribus parentibus natus, atq; in optimis literis & disciplinis institutus fuit, Suidegerus dictus. Sicq; factū ut uirtutibus conspicuus, secūdus antistes Bambergensis creatus sit. Officium uero illud tanta animi moderatione gessit, ut ab omnibus unicē diligeretur. Eo autem tempore nim̄um anno millesimo quadragesimo quinto maximæ turbæ pontificum discordia Romæ erant ortæ, idq; ob tria scelestissima monstra, ut Platina in Gregorio sexto uocat. Nam Benedictus nonus, Syluester tertius, & Georgius sextus Romæ pontificatum mercabantur, uendebant, & diuidebant. Hinc factum ut quisq;

corum ambitione & luxu corruptus omnia scelera impunē exerceret. Vnde Heinricus Cæsar eius nominis tertius Ecclesiasticam dignitatem compositurus ingentibus copijs Romam profectus, atque urbem obsidione cinxit. Romani itaque metu perculsi se dedidere. Heinricus ergo ualido exercitu urbem ingressus, conuocatis undique episcopis & prælatis synodum magna frequentia celebrat. In ea deterrima illa tria monstra se se Romana deponuntur, atque consentiente Cæsare Suidegerus ille inuitus & reluctans, propter uarias animi & corporis dotes pontifex creatur, atque Clemens secundus dicitur. Officio itaque assumpto, Heinricum cum coniuge Agneta benedictione imperiali consecrauit, Augustum & Imperatorem inuictum pronunciauit & omnibus imperialibus ornamentis decorauit.